

51.010. MENTET KETTWIG AN LEIBNIZ

Emden, 26. Oktober (5. November) 1695.

Überlieferung:

K Abfertigung: LBr 467, Bl. 1–2. 1 Bog. 4°. 1 S. (Darauf auch I von N=51.020).

5

erstbearbeitet von Gerhard Biller

Mit unserem Brief beginnt die kurze Korrespondenz bis Oktober 1696 zwischen Leibniz und dem Emdener Juristen Mentet Kettwig. Er wird beantwortet durch N=51.020. Beigeschlossen hatte Kettwig seine Schrift *De veritate philosophiae Hobbesianae, contra virum amplissimum Ulricum Huberum . . . ad . . . D. Gerhardum Feltmannum . . . Epistola* (o.O. 1695).

Illustri et Magnifico Viro Godef. Guilielmo Leibnitzio Ment. Kettwig S.D.P.

Has Vir illustris ad Te curare litteras, hasque pagellas offerre perlegendas, non una causa fuit. Tum Amplissimi Feltmanni singulare profundioris tuae eruditionis testimonium, Te videlicet omnium optime, hac de quaestione judicaturum, futurumque Censorem ut earum rerum callentissimum, ita et aequissimum; Cum illustria tua scripta, et incomparabilis foetus *Codicis juris gentium Diplomatici*, cujus ad Lectorem praemissa praefatio certiolem me reddidit, Te haudquaquam cum plebe Philosophorum Hobbesium judicare brutum, sed (: qualis revera est :) acutissimum. Sisto itaque pagellas has illustri tuo iudicio, non, ut materia suadet, eas exasciatas quidem, sed ut ab homine juvene et forensibus negotiis occupatissimo profectas, cui tamen, si bonis avibus otium concederetur tutius, et a strepitu fori magis remotum, curae cordique semper foret, id studiorum genus excolere, et juris privati principia, ad veram solidamque juris naturae normam revocare, equidem oppido multa sunt, quae satis jejune IC^{ti} adstruunt, nec ultra, quam Papinianus dixit, inquirunt. Ast nolo esse longior, sed voto finire; Velit Te Deus, in emolumentum Serenissimae Domus Electoralis, Reipublicae litterariae, Tuaequae gentis, diu sospitem. Embdae in Frisiis orientalibus d. XXVI. Octobris MDCXCV.

51.020. LEIBNIZ AN MENTET KETTWIG

Hannover, 7. (17.) November 1695.

Überlieferung:

- 5 *l* verb. Reinschrift eines unbekanntes Konzepts: LBr 467, Bl. 1–2. 1 Bog. 4°. 1 S. (Darauf auch *K* von N=51.010). (Unsere Druckvorlage.)
- L* Konzept: LBr 467, Bl. 3–4. 1 Bog. 8°. 4 S. (Unsere Druckvorlage.)
- E*¹ GRUA, *Textes*, 1948, S. 652–653 (nach *l*).
- E*² GRUA, *Textes*, 1948, S. 652–654 (nach *L*).

erstbearbeitet von Gerhard Biller

10

Die nicht gefundene Abfertigung unseres Briefes war Beischluß zu Leibniz an Heinrich Avemann, 2. Hälfte November – Anfang Dezember 1695 (I, 11 N. 134); vgl. Avemann an Leibniz, 30. Dezember 1695 (I, 12 N. 180). Er antwortet auf N=51.010 und wird beantwortet durch N=51.030.

15 Unser Brief liegt in zwei Fassungen vor. Eine verbesserte Reinschrift *l* mit Datum 6. November, die Leibniz mit »ex responsione« kennzeichnet, hat er insgesamt gestrichen und durch die erweiterte Fassung *L* mit Datum 7. November ersetzt.

[*l*]

Ex responsione.

20

Nobilissimo et Consultissimo Viro Dn. Menteto Kettwigio Icto doctissimo.
Godefridus Guilielmus Leibnitius. S. P. D.

Pro munere pereleganti gratias debitas reddo, et illis applaudo libens qui ad constituendam solidiorem jurisprudentiam ut te placere video diligentiam doctrinamque conferunt. Placet in tuis vel ipsa scribendi forma, qua sententiam tueris, salvo cultu qui excellenti adversario debebatur. De rebus ipsis tecum in eo sentio, quod literis etiam tuis attingis, magno acumine
25 Hobbium scripsisse de civili philosophia. Addo ne in illis quidem spernendum videri ubi dissentire necesse est. Magnorum certe virorum etiam erratis solemus doceri. Itaque Hermannum Conringium alicubi insanientem Hobbii sapientiam dicere miratus sum, eo magis quod alioqui censorem novis quoque Scriptoribus non iniquum deprehenderim. Quid ego de doctrina

21 Pro (*l*) eleganti munere (2) munere pereleganti *l* 21 reddo (*l*) | et libente *versehentlich nicht gestr.* | animo illis applaudo (2) et . . . libens *l* 25 f. ubi (*l*) dissentio (2) dissentire necesse est. *l*

21 munere: Kettwig schickte Leibniz mit N=51.010 sein Buch *De Veritate Philosophiae Hobbesianae . . . Epistola*, o.O. 1695. 28-S. 510201.3 Quid . . . praescripsi: LEIBNIZ, *Codex juris gentium diplomaticus*, Hannover 1693 (IV, 5 N. 7, bes. S. 50, 61–63); *Nova methodus discendae docendaeque jurisprudentiae*, Frankfurt 1667 (VI, 1 N. 10, bes. S. 342–344); (Pseud. Caesarinus Fürstenerius), *Caesarini Fürstenerii de jure suprematus ac Legationis principium Germaniae*, [Amsterdam] 1677 (IV, 2 N. 1, S. 57–60).

Hobbiana sentiam, tum ex *Codicis diplomatici* praefatione, tum ex libello quem *Novae juris methodi* titulo adolescens scripseram, tum vero maxime ex nonnullis intelligi potest quibus nomen meum non praescripsi. Sed nolo Te tenere diutius, non defuturus occasioni, si qua sese offerat, qua testari possim, quantum illis deberi iudicem, qui literis laborantibus opem ferre possunt. Vale. Dabam Hannoverae VI. Novembr. MDCVC.¹

5

[L]

Nobilissimo et Consultissimo Viro Domino Menteto Kettwigio
Godefridus Guilielmus Leibnitius S. P. D.

Pro munere pereleganti gratias debitas reddo, et illis applaudo libens, qui constituendae solidiori jurisprudentiae doctrinam diligentiamque conferunt, quod Tibi propositum video. 10
Placet in his quae mittis vel ipsa scribendi forma qua sententiam tueris salvo cultu qui excellenti adversario debebatur.

De rebus ipsis in eo tecum sentio, quod literis etiam tuis attingis, magno acumine Hobbium scripsisse qui et mihi est inde a puero lectus. Addo ne in illis quidem spernendum videri ubi dissentire necesse est. Geometrica tamen excipio, in quibus tantopere errare potuisse 15
virum ingeniosissimum, et in ea ipsa scientia praeclare versatum inter singularia mentis humanae recenseo, quorum rationem reddere difficile est. Quae de corporis natura scripsit plurimum habent boni. Sed dum nil nisi corpus admittit in rebus, philosophiam suam caetera egregiam misere corruptit.

De rebus civilibus, principiisque justi vera multa et praeclara, sed non sufficientia dixit. 20
Agnosco homines mutuo metu et necessitate ad colendam societatem constituendamque potestatem societatis custodem cogi; sed praeter metum amor, praeter miseriae fugam, felicitatis illecebra accessit, quae mutuis inprimis auxiliis constat. Eaque ipsa in *Codicis diplomatici* praefatione distinxi. Ab Amore igitur juris fontes repeto, sed qui sit dignus sapiente; amor autem tendit ad felicitatem, in quo inest vitare miseriam, et dare operam, ne nobis exitiosa sit 25

¹ *Auf der Folgeseite, Bl. 2 r^o, von Leibniz' Hand: In ejus naturali philosophia probare [bricht ab]*

14 scripsisse (1) de civili philosophia. (2) qui . . . lectus. L 18 dum (1) omnes substantias corp (2) nil L 20 civilibus, (1) ac juris (2) principiisque L 20 et praeclara erg. L 21 societatem (1) et leges in ea ferendas et constituendam (2) constituendamque L 22 f. felicitatis (1) ⟨-⟩ (2) mutuae (3) illecebra L 25 et (1) curare (2) dare operam L

9 munere: Kettwig schickte Leibniz mit N=51.010 sein Buch *De Veritate Philosophiae Hobbesianae* . . . *Epistola*, o.O. 1695. 24 praefatione distinxi: IV, 5 N. 7, bes. S. 61–63.

cura alieni boni. Itaque quod in Hobbianis principiis rectum inest, altioribus illis continetur, non vicissim.

Sed nec Hobbiana de summa potestate decreta certis demonstrationibus colliguntur aut rebus humanis congruunt. Si illum audimus, quisquis potestatem summam habet, omnimodam
 5 habet, nec possumus partiri jura regnandi; usque adeo ut in Regis arbitrio sit etiam de successore constituere. Quod tamen ne in ipsa quidem Gallia feretur. Argumenta quibus haec probare instituit, satis virium non habent. Fateor incommoda metui posse dissensu eorum, quibus creditae sunt diversae partes reipublicae. Sed non omne quod incommoda trahit intolerabile aut vitabile est. Quin potius districtas illas sententias Hobbianas, et Metaphysicam alieno loco
 10 exercitam obrudere mentibus humanis multo plus difficultatis haberet. Neque facile gentem reperias, cui non circa gubernationis formam alia omnia placuisse constet. Illud tamen et probo et tueor possessori supremae potestatis resistendum non esse. Quanquam non sit haec regula tam abscissae aut Mathematicae veritatis ut exceptionem nullam ferat, non magis quam aliae pleraeque civiles sententiae. Non possunt demonstrari positiones juris et aequi, nisi ex consi-
 15 deratione boni, cujus cessantis inest illis exceptio, quemadmodum apud IC^{tos} regulis exceptiones saepe insunt ipso jure. Itaque si manifeste in publicum exitium feratur, et veluti furat qui rebus praeest, Grotio assentior. Et cum justitia (mea definitione) sit caritas sapientis, justum non puto, quod absurdum est, quale fuerit, perdere Rempubicam, ut formam regnandi tueamur, quae tamen ideo reperta est, ne pereat Respublica. Ut illud Poetae non longe absit:

20

Hic rogo non furor est ne moriari mori?

2 vicissim. (1) Caeterum (2) Quod attinet (3) Sed L 5 nec (1) licet | (2) possumus erg. | L 7 habent. (1) Fateor divisus juribus majestatis, (a) hoc imperfectum esse in forma Reipublicae, ut (b) incommoda (aa) a dissensu metui posse, (bb) metui posse, si dissentiant. (2) Fateor L 8 partes (1) supremae potestatis | (2) reipublicae erg. | L 8 f. aut vitabile erg. L 9 Metaphysicam (1) praecisionem (2) alieno L 11 non (1) alia omnia placuerint (2) circa . . . constet. (a) Illud tamen (aa) non (bb) nego, potestati supremae resistendum | (b) Illud tamen erg. | L 12 tueor | quod recte mones erg. u. gestr. | (1) summae potestati resis (2) supremis potestatibus, vel certe ejus possessoribus (3) supremae potestati (a) vel certe | (b) imo erg. | ejus possessori non esse resistendum (4) possessori L 12 potestatis (1) regular (2) resistendum L 12 esse. (1) Quanquam non sit haec regula tam abscissae aut Mathematicae veritatis ut exceptionem nullam ferat, non magis quam pleraeque aliae civiles sententiae. erg. | Non possunt demonstrari (a) regulae | (b) positiones erg. | juris et aequi, nisi ex consideratione boni, (aa) sed | (bb) idque quemadmodum (cc) cujus cessantis inest illis exceptio, quemadmodum apud IC^{tos} (aaa) actioni inest lex (bbb) regulis exceptiones etiam non nominatae insunt. Itaque erg. | si manifeste in publicum exitium feratur, et velut furat, qui rebus praeest, Grotio assentior; et cum justitia (mea definitione) sit caritas sapientis, justum non puto, quod absurdum est, quale fuerit | (aaaa) societatis causa societatis tuendae causas nobis perire *zuerst in eckige Klammern gesetzt, wohl um es von der Abfertigung auszuschließen, danach gestr.* (bbbb) perire (aaaaa) homines (bbbbb) rempublicam, ut (a) societatem tueam (β) formam regnandi tueamur, quae reperta est ne Respublica pereat. *Hic rogo non furor est, ne moriari mori?* ut ille ait. erg. | In quibus nec Te dissentire arbitror. Et Hobbium longius etiam resistendi facultatem extendere scio, quam a me probatur. Nam etiam reus capitis jus apud ipsum habet omnia pessundandi, ut sit salvus, quod et ego admitterem, si vita nostra hac vita finiretur. (2) Quanquam L 14 pleraeque erg. L 18 quod (1) ineptum est, quale fuerit (2) absurdum L 18 fuerit, (1) perire | (2) perdere erg. | L

20 *Hic . . . mori??: MARTIAL, Epigrammata, lib. II, ep. 80, v. 2.*

Quae talia sunt, ut nec Te dissentire arbitrer. Et Hobbium longius etiam facultatem resistendi extendere scio, quam a me probetur. Nam etiam reus capitis, etiam non innocens, jus apud ipsum habet, omnia pessundandi, ut sit salvus. Quod et ego admitterem, si vita nostra hac vita finiretur.

Sed nescio quomodo praeter institutum sese diffudit Epistola. Vale vir clarissime, et hoc 5
Tibi persuade nunquam me occasione defuturum, qua Tibi testari possim, quantum illis deberi judicem, qui recta studia ornare possunt. Dabam Hanoverae 7 Novemb. 1695.

2 etiam non innocens *erg. L* 3 omnia (*I*) turband(i) (ut) pereat Respublica (2) pessundandi *L*
3 admitterem, (*I*) si summum bonum nostrum in hac (2) si *L*

51.030. MENTET KETTWIG AN LEIBNIZ

Emden, 4. (14.) Februar 1696.

Überlieferung:

K Abfertigung: LBr 467, Bl. 5–6. 1 Bog. 4°. 4 S.

5

erstbearbeitet von Gerhard Biller

Unser Brief antwortet auf N=51.020 und wird beantwortet durch N=51.040.

Illustri Viro Godefrido Guilielmo Leibnitio
Mentetus Kettwigius S.D.P.

10 Litterae Tuae Vir Illustris recte ad me curatae sunt. Est certe, quod mihi gratuler, mea non
usque adeo Tibi sordere. Quin salivam movit, placuisse formam scribendi, qua sententiam
adstruxi, salvo, qui debebatur adversario, cultu. Id ingenui oris censeo, bene de Republica
litteraria meritis suis, i.e. condignis encomiis ornare, modo assentatio absit, uti enim illud
decorum, sic hoc vile abjectumque duco. Sordet hodiernorum scribentium, IC^{torum} praecipue
15 mos, jam ab aliquot retro annis invicem certantium, qui laudibus titulisque sese ad astra vehant:
Etenim simulac quem professoria toga conspexerint, et a charta in papyrum ab Eodem erat
conjectum quid viderint, proh hominum fidem quantos quaeque pagina non olet titulos, quam
heic est Magnificus, quam Excellentissimus, quam Amplissimus, quam juris Consultissimus!
Contra oborta forsitan circa thesin aliquam dissensione, Palladis se scuto tectos autumant,
20 convitiis sese proscindere, nihil minus cogitantes, quam quod cordatis omnibus deridendos se
propinent, et tantum levibus his ac inanibus sonis ludibria excitent.

Huberum interim (ut postliminio ad adversarium revertar) fuisse Virum undequaque
doctissimum, scripta sua testantur. Ut ut negari nequeat, Eum in opere *de jure Civitatis*
maximam partem Grotium olere, et quidem inter emunctioris naris homines eo vehementius,
25 quod mutuuum Ipsi non reddiderit: Exemplum esto in iis, quae inter Ipsum et me sunt contro-
versa. In iis enim Huberus, praecipuum fundamentum, quo contra Hobbium utitur, ex Grotio
desumpsit, suppresso tamen Auctoris eximii nomine. Repperitur vero hoc in dicto libro 1. cap. 3.
n. 45. et seqq. quo loco contra Hobbium demonstrare annititur, *fuisse proditam cognitionem
mei et tui ante proditam Civitatem, fuisseque nefas, ea quae quis ad usus incommunicabiles*
30 *occupasset eripi*. Diserte et Eadem Grotius habet, *d[e]jur[e] B[elli] et P[acis]* lib. 1. cap. 2. § 1.
circ. fin. a verb.: *Quod facile usque verba faceret injuriam*. Nec hoc Huberum in lectione Grotii

10 curatae sunt: Heinrich Avemann bestätigte Leibniz die Weitergabe am 30. Dezember 1695 (I, 12 N. 180). 28–30 *fuisse . . . eripi*: vgl. U. HUBER, *De jure civitatis libri tres*, Franeker 1676 u.ö., lib. I, cap. 3.
31 *Quod . . . injuriam*: H. GROTIUS, *De jure belli ac pacis libri tres*, Paris 1625 u.ö., lib. I, cap. 2, § 1, 5.

tam privatim quam publice assiduum latere potuit, nolui tamen hujus rei in Epist. ad Ampl. Feltmannum mentionem injicere, ne viderer mordere.

Aliud in Hubero non tam notandum quam mirandum illud est, quod all. cap. 3. n. 93. et seqq. votum Grotii, lecta scilicet sibi fuisse Hobbesiana, antequam suum opus *de jure B[elli] et P[acis]* edidisset, ita interpretetur, ut praemunire suum Lectorem potuisset contra dogmata 5 Hobbii; Cum tamen contrarium e scriptis Grotii undique eluceat, utrobique enim Grotius in statu naturali nudo hostilitatem, jusque resistendi promiscuum agnoscit, tamque clare quam Hobbii ipse docet: Videantur Grotii lib. 1. cap. 1. § 10. a verbis: *Sic dominium* usque verba *jus naturale*: Et ibidem in fine a verbis *Sunt quaedam* usque *positas leges*. Clarius Idem sese explicat lib. 1. cap. 2 § 1. a verb. *Inter prima* usque *sufficiant*. Ex his contegat Huberus, quique 10 a suis partibus stant, num solus Hobbiius fundamentum illud juris naturae recte statuerit, ut quisque vitam et membra sua, quantum possit, tueatur! Demum quod Grotius citato loco subjiciat: *Naturam Societatis solum efficere, ne jus alienum tollamus*. Addantur et ea, quae habet lib. 1. cap. 4 § 2. et conferantur cum fundamentis Hobbii, certe eadem Ipsis est sententia, idem finis. Denique Grotius vindicationem privatam omnino agnoscit licitam lib. 2. cap. 20. 15 § 8. Ex his patere putem, quare Grotius optarit, lecta sibi fuisse Hobbiana, antequam opus suum edidisset. Ita affectus homines plerumque in transversum agunt, ut etiam de sibi cognitissimis praepostere judicent!

Quin certe si verum fateri velimus, possetne bellum aliquod excogitari justum, si non hujus fundamentum statueremus, vitam et membra sua tueri? Nonne ex eo patescit, quod 20 occupationes urbium, etiam earum, quae neutrarum partium dicuntur, in eum solum finem fiant ac defendantur, quia hoc expedit, et huic vel illi bonum vel malum videtur? Quaeso an in bello illicitum putamus, alteri eripere res, ut Huberus ait, incommunicabiles? An ibidem jus occupantis consideratur? An non ibi est jus omnibus in omnia? Jam partes belligerantes quoad se invicem nihil aliud sunt, quam dissoluta multitudo. 25

Latius memet explicarem Vir Illustris, ni eruditissimae tuae litterae me in viam revocarent, quibus attingis, Hobbium magno acumine scripsisse, adeo quidem, ut non spernendus videatur, ubi dissentire necesse sit, exceptis tamen Geometricis, ubi Eum tantopere errare potuisse, inter singularia mentis humanae recensens. Fateor singulare hoc esse, ni et genio ingenioque Anglorum illud tribuamus, quibus naturale est, ob humores melancholicos ac tristes 30 a semel inventis neutiquam recedere, sibi que persuasum habent, semel a se posita tam abscissae esse veritates, ut ipsi quid addere vel detrudere, taceo sententiam mutare, etsi absurditatis convincantur, vitio ingenii nequeant. Hobbium porro de principiis justii non sufficientia dixisse,

1 Epist.: M. KETTWIG, *De Veritate Philosophiae Hobbesianae . . . Epistola*, o.O. 1695. 3 f. Aliud in Hubero: vgl. U. HUBER, a.a.O., cap. 3, n. 93. 8 f. *Sic . . . jus naturale*: H. GROTIUS, a.a.O., lib. I, cap. 1, § 10, 4. 9 *Sunt . . . leges*: H. GROTIUS, a.a.O., lib. I, cap. 1, § 10, 7. 10 *Inter . . . sufficiant*: H. GROTIUS, a.a.O., lib. I, cap. 2, § 1, 4. 13 *Naturam . . . tollamus*: vgl. H. GROTIUS, a.a.O., lib. I, cap. 2, § 1, 6.

agnosco. Ita tamen, ut si principia ipsius recto ordine collocentur, non viderem, quid merito in iis reprehendi possit? Cum et Ille in coeundo quodammodo amorem agnoscat, finemque initae societatis miseriae fugam, felicitatisque illecebram statuatur, ceu Ejusdem tradita luculenter demonstrant.

5 Hobbiana denique de summa potestate decreta rebus humanis haud congruere, illaque mentibus humanis obrudere velle, multum difficultatis habiturum, lubens fateor. Addo eundem obtentura eventum, quem Lojolitae experti sunt circa dogma: *De haeretico Rege libere occidendo*. Nam uti hoc omnem prorsus summae potestatis reverentiam nefarie auferebat, ita illa si in pravum detorqueantur sensum, libertatem privilegiaque subjectorum funditus extirparent.

10 Dein alia mihi videtur disquisitio, quid sit summa potestas, et quomodo ea obligari possit? quae pars est Philosophiae: Alia vero num istae positiones tuto in Republica introduci possint? quae pars est doctrinae civilis et quidem practicae. An quoque in Regis simpliciter constituti vel hereditarii arbitrio sit de successore constituere? Quaestio mihi videtur altioris indaginis. Certe plurima regna testamento fuisse relicta ex historiis constat, et plura conguessit Grotius: Nec in

15 historia Augusta quicquam notius, quam Imperatores de successoribus constituisse. Hoc autem juris, quod monarcha Gallus hoc in casu haberet, idem et Dano tribueram aliive hereditario. Et, quid si hodiernus Hispaniarum Rex, utpote plurima regna pleno jure proprietatis, et in suo patrimonio habens, absque liberis decederet, quid obstaret, quominus de successore constitueret?

20 Interim possessori supremae potestatis qui in publicam perniciem aperte fertur, eatenus resisti posse, quatenus ad honestam melioremque mentem adigatur, concedo. Non probo tamen, quod Grotius eodem loco de Lege Commissoria adjecit: Cum thesis haec nimium periculosa sit, et usurpatam ac interversam Regi Hispano summi imperii possessionem sapiat. Nihil tamen absurdius puto, quam velle Rempublicam perdere, ut formam regnandi tueamur, quod certe

25 foret in propria viscera saevire. Sed, ne longiori Te onerem epistola Vir Illustris inque publica commoda peccem, hoc unum expeto, laxiori ni et liberiori calamo ignoscas, interque tuos Clientes referre me ne dedigneris, excuses denique, quod non citius tuis responderim. Vale, Vir Illustris ac Tibi Tuisque diu feliciter vive. Dabam Embdae IV. Febr. M. DC. XCVI.

51.040. LEIBNIZ AN MENTET KETTWIG

[Hannover, 5. April] 1696.

Überlieferung:*L* Konzept: LBr 467, Bl. 7. 1 Bl. 4°. 2 S.5 *E* GRUA, *Textes*, 1948, S. 655–656.

erstbearbeitet von Gerhard Biller

Die nicht gefundene Abfertigung unseres Briefes antwortet auf N=51.030 und wird beantwortet durch N=51.050. Die Datierung ergibt sich aus Kettwigs Antwort.

10 Vir Nobilissime et Consultissime, Fautor Honoratissime

Gratissimae¹ semper erunt Tuae, praesertim, si quid meditando addas ad scientiae profectum: Diu enim est quod quaero qui aliquid conferre possint, quando mihi multis modis distracto non omnia destinata exequi licet. Quod morem laudandi vituperandique inter eruditos attinet, si in alterutram partem excedendum sit, malim elogiis peccari; quibus nemo facile
15 decipitur, quam vituperiis, quibus plerumque inest aliquid noxii et iniqui. Huberi fateor scripta, excepta *Historia*, mihi parum lecta et vix vacat. Si Grotium passim secutus est non reprehenderim, in id enim scribunt insignes viri, ut alii utantur, et jactis fundamentis aliquid superstruant, si non laudavit, eo facilius condonaverim, quod per se patere videtur quid a scriptore notissimo sit sumtum.

20 Non dubito quin Grotius quaedam contra Hobbii sententias fuerit dicturus si in tempore vidisset, sed nec dubito tamen quin aliqua inde in usus suos fuerit versurus. Grotiana et Hobbiana conciliari posse facile assentior. Quin video plerorumque dogmata rectam interpretationem capere, ut adeo eruditos magis in struendo quam destruendo occupatos esse debere arbitrer. Vellem scilicet non iri in circulum et velut dolium volvi, sed prioribus demonstratione
25 constitutis longius procedi. Quae in libro *de jure suprematus* et praefatione *Codicis diplomatici* de Hobbianis et juris naturalis principiis dicta sunt, an Tibi expensa, nosse velim.

¹ *Am Kopf der Seite*: Martino Kettwigio IC^{to} CI^{mo} Embdam

10 Vir (*I*) Celeberrime (2) Nobilissime et Consultissime *L* 11 meditando (*I*) conferas | (2) addas
erg. | *L* 13 f. Quod . . . attinet, *erg.* *L* 14 peccari; (*I*) quae fere innocua sunt, et pro (2) quibus *L*
16 mihi (*I*) non | satis (2) parum *erg.* | lecta | et vix vacat. *erg.* | *L* 18 non | semper *gestr.* | laudavit *L*
18 quod (*I*) in (2) autor (3) scriptoris notissimi dogmata (4) per *L* 24 prioribus (*I*) velut | (2) quasi *erg.* | (3)
demonstratione *L*

16 *Historia*: vgl. U. HUBER, *Institutionum historiae civilis libri tres*, 3 Bde, Franeker 1692. 25 libro:
LEIBNIZ, (Pseud. Caesarinus Fürstenerius) *Caesarini Fürstenerii de jure suprematus ac Legationis principum
Germaniae*, o.O. [Amsterdam] 1677. 25 f. praefatione . . . dicta sunt: LEIBNIZ, *Codex juris gentium
diplomaticus*, Hannover 1693 (IV, 5 N. 7).

Vincentius Placcius vir doctrina et meditatione, et zelo praestans *Accessionibus* nuper editis Moralem Scientiam, et jus naturae delineavit. Haec a Te legi attente, et adnotari optem quae in rem videantur. Nam illis lineis ductis occasio aliis datur sua conferendi. Itaque gratum sibi fore vir doctissimus mihi significavit. Jura summae potestatis non ultra locum habere censeo, quam patitur Reipublicae salus, et veram juris philosophiam constat huc referri. Itaque non video quomodo haec separet nisi forte eo modo, quomodo agnoscunt IC^{ti} quae ipso jure valent aliquando exceptione infirmari. Nec Galliae Regi jus mutandae successionis conceditur. Scis Carolum VI. exhaeredato velut ob crimen filio, regnum in filiam contulisse, quae Anglorum Regi nupserat, et magna pars procerum assensit. Ipse ego in *Codice diplomatico* formulam edidi, sed quae non tenuit, et contrarium receptum habetur. Rex Galliae domi suae multis juris vinculis ligatus est, praesertim in iis provinciis ubi antiquis ducibus comitibusve successit. Hispanica quoque Regna suas succedendi Leges habent, a Carolo V. et Philippo II. agnitas. Legi Commissoriae nec passim locus est, nec nunquam. Limites vel recepto jure gentis vel necessitate definiuntur. Itaque temperare stylum tutius veriusque est et quae a foederatis provinciis olim acta sunt ego nec damnare ausim, nec absolvere: Longa est historia longae ambages factorum, quae oporteat examinari majore difficultate quam fructu. Et plerumque utrinque injusta sunt bella. Praesens tamen nostrum et quae similia sunt, excipere oportet. Quod superest, si qua speciatim occasione Placciani operis notare placeat, curabo perferri, ne inutile hoc commercium sit. Censeo enim nos omnia ad fructum dirigere debere, qui maximus est, si

2 Moralem (1) genti (2) Scientiam L 3 quae (1) ad augendam (2) in L 5 referri. | Itaque non video quomodo (1) separet (a) quae sunt (b) jus | (2) jus separet (3) haec separet *erg.* | ab ea quae introduci fas est *erg. u. gestr.* | Ne Galliae quidem (a) Monarchae (b) Regi jus mutandae successionis conceditur, et (aa) passim | (bb) domi *erg.* | ligatus (aaa) et ille est (bbb) et ille est vinculis juris, praesertim in provinciis ubi antiquis ducibus comitibusve successit (aaaa) <-> (bbbb) Quae de successione d (cccc) Hispanicae quoque provinciae suas succedendi leges habent a (aaaaa) Philippo (bbbbb) Carolo V. et Philippo II. agnitas, si quid contra fieret <ordinario - -> facile (α) De lege commissoria neque ego quicquam dixi (β) Legi Commissoriae neque (αα) facile (ββ) passim locus est, nec nunquam (4) Itaque L 6 quomodo (1) distinguunt (a) ipsi | (b) ICti *erg.* | quae ipso jure valent, ab his quae et (2) agnoscunt L 9 assensit. (1) Sed (a) <ulti> (b) ea dis (c) voluntas ejus non tenuit; et contrarium receptum habetur (2) Ipse L 10 Rex | ipse *gestr.* | Galliae L 11 iis *erg.* L 11 f. successit. (1) Hispanicae quoque provinciae (2) Hispanica quoque Regna L 13 recepto *erg.* L 14 definiuntur. (1) Mihi videtur haec pleraque (2) Mi (3) Putem privatos (a) recte facere (b) facere si circa publica jura (c) si temperent stylum tutius (4) Itaque L 15 olim *erg.* L 16 oporteat (1) nosci (2) examinari (a) fructu (b) majore L 16 f. Et plerumque utrinque (1) peccatur (2) injusta sunt bella. (a) <prole> (b) Praesens tamen nostrum *erg.* | (aa) except (bb) et . . . oportet. *erg.* L 19-S. 510402.1 Censeo . . . reddantur. *erg.* L

1 f. *Accessionibus* . . . nuper editis: V. PLACCIUS, *Accessiones ethicae, juris naturalis, et rhetoricae*, Hamburg 1695. 7-9 Galliae Regis . . . nupserat: 1420 hatte Karl VI. von Frankreich den englischen König Heinrich V. als Thronerben anerkannt, gegen die Rechte seines eigenen Sohnes, des Dauphin de Vienne und späteren Königs Karl VII. Die Gemahlin Heinrichs V. war Katharina, die Tochter Karls VI. 8 crimen: Vermutlich durch Begleiter, nicht durch den Dauphin selbst, wurde 1419 Johann ohne Furcht, Herzog von Burgund, in Montereau ermordet, als er nach der Belagerung von Rouen Friedensverhandlungen mit Heinrich V. oder dem Dauphin suchte. 10 formulam: LEIBNIZ, *Codex juris gentium diplomaticus*, Hannover 1693, p. I, CXXXII, S. 325-330.

nos primum, deinde et alii meliores reddantur. Vale etc.²

² *Am Rande von Bl. 7 v^o quer eine nicht zum Brief gehörende Notiz von Leibniz: Es ist nur der Tomus I. und scheint also daß der Tom. II. fehle, es wäre dann daß er nie herauskommen.*

51.050. MENTET KETTWIG AN LEIBNIZ

Emden, 5. (15.) Juni 1696.

Überlieferung:*K* Abfertigung: LBr 467, Bl. 8–9. 1 Bog. 4°. 4 S.5 *E*¹ FELLER, *Monumentorum ined.*, 1718, S. 380 (Teildruck).*E*² KLOPP, *Werke*, Bd 4, 1865, Einleitung S. XVI (Teildruck).*E*³ *Jahrbuch der Gesellschaft für bildende Kunst und vaterländische Altertümer zu Emden* 14 (1902), H. 2, S. 496–497.

Weitere Drucke:

10 1. LUDOVICI, *Hist. Leibn. Phil.*, 1, 1737, S. 343–344 (Teildruck). – 2. DUTENS, *Opera omnia*, Bd 5, 1768, S. 568 (Teildruck).

erstbearbeitet von Gerhard Biller

Unser Brief antwortet auf N=51.040 und wird beantwortet durch N=51.060.

15 Viro Illustri Godefrido Guilielmo Leibnitio
Mentetus Kettwigius S. D. P.

Litterae tuae XXVI. Martii ad me exaratae, non nisi ante hoc triduum mihi sunt redditae; Etenim cum Parentem meum Lerae in Frisiis Orientalibus degentem paucis abhinc diebus salutarem, forte fortuna ibidem eas repperi, cum eodem absente famulo essent traditae, ab
20 eoque in musaeo Parentis rejectae, nec illi primo obtuto visae. Culpa id factum tabellarii Auricani, qui literas ad Patrem errore nominis perferendas dedit, cum uterque nostrum juris utriusque Doctor sit renuntiatus, optarem itaque si quid post ad me curetur, ut inscriptio literarum locum domicilii mei, Emdam scilicet, prae se ferret. Caetera nihil unquam mihi
25 *Plus ultra* neminem magis, quam studiosam juventutem, cui curae est, vitam haud quaquam silentio transigere, decere putem.

Offers ad id Vir Illustris duo media, tum, ut probe ea, quae a Te de Hobbianis et juris naturalis principiis, in libro *de jure Suprematus*, et Praefatione *Codicis Diplomatici* sunt dicta, expenderem, legeremque; cum, uti me ad lectionem eorum, quae Vir eruditissimus Vincentius
30 Placcius in *accessionibus* nuper editis, de jure naturae, scientiaque Morali disseruit, accingerem, eaque quae in rem viderentur, notarem.

28 libro: LEIBNIZ, (Pseud. Caesarinus Fürstenerius) *Caesarini Fürstenerii de jure suprematus ac Legationis principum Germaniae*, o.O. [Amsterdam] 1677. 28 Praefatione: LEIBNIZ, *Codex juris gentium diplomaticus*, Hannover 1693. 30 *accessionibus* . . . editis: V. PLACCIUS, *Accessiones ethicae, juris naturalis, et rhetoricae*, Hamburg 1695; vgl. N=51.040.

Fateor Vir Illustris sic quidem commodissime ad veritatem iri, nec esse viam magis commodam, et emendae veritati parem, quam quidem amicam ejusmodi collationem, ast dubito, num tantum onus subire, humeri mei ferant? Non tamen provinciam detrecto, siquidem mihi juveni, si quae minus recte dixero, Vos veniam daturus, nec cupiditatem meam in litteris, praeclaraque hac scientia proficiendi, malam in partem interpretaturos, confidam, imo certus 5 sim. Itaque, cum animus mihi sit, propediem Bremam petendi, dabo operam, ut Viri Clarissimi Vinc. Placcii *accessiones* ibidem comparem: dein praevia attenta lectione, si quae habeam, notabo, eademque occasione testatum faciam, Tua praesertim in libro *de Jure suprematus* mihi lecta, imo relecta esse. Praefationem *Codicis J. G. Diplomatici* aliquando apud Amplissimum, jam vero summo eruditorum cordolio, et maximo litterarum dispendio, denatum Feltmannum 10 legi, sed omnia exequi per otium tum non licebat, maxime, quod ViceCancellarius Ampl. Avemannus librum (: Feltmanno enim ad breve utendum concesserat :) eodem momento repereret, nec mihi heic Emdae reperire datum fuit; Quin odium, quo D. ViceCancellarius contra me immerentem flagrat, nullo modo mihi ad Eundem aditum praebet, taceo, ut librorum suorum inspectionem daret. Certe de me actum foret, si mihi principali gratia niti, fors injungeret, optarem tamen Eidem [reconciliarer] , si qua spes esset, id tamen per Te impetratum me spero, cum Te plurimum apud Eundem posse, sciam. Caussas concepti odii varias D. Vice- 15 Cancellarius refert, sed earum potissima videtur liber a me *de Ambitu* seu *ad Legem Juliam Ambitus* conscriptus. Jam pridem ad Saurmannum Bremam litteras dedi, ut meis sumtibus ad Te Exemplar curaret, hoc an factum ignoro? Si sic, illud expeterem cum publica Te ejusmodi 20 scripta legere prohibeant, ut ab historiis et politicis non alieno librum legendum committeres, an talia in eo reperiret, quae quis in se dicta putare posset. Certe Ampl. Bremensis Senatus, cum proscriptionem libri D. Avemannus urgeret, Commissarios dedit, qui viderent, numne liber quid proscriptione dignum, contineret? Qui praevia relatione decretam de non distrahendo inhibitionem cassarunt, scriptumque non inutile judicarunt. Juro, hoc amplius liquido jurare, et per 25 omnia sacra affirmare possum, me neminem praesentium mordaci vero rodere voluisse. Nec caeteroquin ad me pertinet, si quis aliena malefacta, sibi, ob similitudinem morum, objecta putet. Tu, si innocentem me quoque absolveris, hoc, bonum factum! tutum contra quosvis praesidium mihi erit. Vale Vir Illustris, et quantocius ea, ad quae me duxerint, cum Tua, tum Placcii scripta, expectato. Dabam Embdae V. Jun. st. vet. M. DC. XCVI. 30

16 reconciliarer *K ändert Hrsg.*

18 liber . . . *de ambitu*: M. KETTWIG, *De ambitu antiquo et hodierno liber*, Bremen 1695.

51.060. LEIBNIZ AN MENTET KETTWIG

Hannover, [Mitte Juni bis Mitte Oktober 1696.]

Überlieferung:*L* Konzept: LBr 467, Bl. 10. 1 Bl. 4°. 1 3/4 S.5 *E*¹ FELLER, *Monumentorum ined.*, 1718, S. 380–381 (Teildruck).*E*² *Jahrbuch der Gesellschaft für bildende Kunst und vaterländische Altertümer zu Emden* 14 (1902), H. 2, S. 497–498.

Weitere Drucke:

10 1. LUDOVICI, *Hist. Leibn. Phil.*, 1, 1737, S. 344–345 (Teildruck). – 2. DUTENS, *Opera omnia*, Bd 5, 1768, S. 568 (Teildruck).

erstbearbeitet von Gerhard Biller

Die nicht gefundene Abfertigung unseres Briefes antwortet auf N=51.040 und wird durch N=51.070 beantwortet.

15 Vir Nobilissime et Consultissime, Fautor Honoratissime

Gratissima erunt quae vel ad Placciana vel ad mea meditaberis. Interim ut libri *de suprematu* expressam mentionem facias, aut ut mihi eum tribuas nihil necesse est. Scripsi olim juvenis libellum *de Methodo discendae docendaeque jurisprudentiae*, in quo semina jam sparsi mearum sententiarum, sed nunc vix occurret in officinis.

20 Doleo Tibi cum Illustri viro Dn. Avemanno non optime convenire. Ejus cum explorata sit omnibus magna doctrina et experientia, mihi vero privatim etiam aequitas et moderatio, e re

16 quae (1) in (2) vel *L* 17 *suprematu* (1) praesertim (2) expressam *L* 17 tribuas (1) non est opus (2) causa (3) nihil *L* 18 jam (1) sparsa (2) sparsi *L* 19 f. officinis. (1) Doleo Tibi cum illustri viro Dn. Avemanno non optime convenire. Ejus cum explorata (a) mihi sit doctrina, et experienti (b) sit (c) sit omnibus magna doctrina et experientia, mihi vero privatim, etiam aequitas et moderatio, e re tua putem ut nihil omittas quo tibi conciliari possit. (aa) Vir egregius (bb) Solet facile contingere, ut juvenes (aaa) ingenio valentes |et *versehentlich nicht gestr.* | doc (bbb) | literis et *erg.* | ingenio valentes, (aaaa) et (bbbb) quadam studiorum fiducia improvide agant | nondum usu rerum subacta *erg.* | (aaaaa) ergo cum viris, qui aetate et autoritate (bbbbb) videantur erga viros aetate et autoritate (ccccc) viros eos quibus ob autoritatem et merita | et autoritatem *gestr.* | cultus debebatur aetatemque dictorum etiam praerogativam non satis considerent (dddd) autoritatis et meritum aetatisque etiam praerogativam in aliis non satis considerent neque expendant, quid ipsi sibi vellent, si eo loco essent. Inde offensiones, quibus (2) Doleo *L* 21 re | tua *gestr.* | putem *L*

16 libri: LEIBNIZ, (Pseud. Caesarinus Fürstenerius) *Caesarini Fürstenerii de jure suprematus ac Legationis principum Germaniae*, o.O. [Amsterdam] 1677. 18 libellum: LEIBNIZ, *Nova methodus discendae docendaeque jurisprudentiae*, Frankfurt 1667 (VI, 1 N. 10). 20 Doleo . . . convenire: Leibniz versuchte, zwischen Avemann und Kettwig zu vermitteln; vgl. Leibniz an Heinrich Avemann, 9. Januar 1697 (I, 13 N. 294).

putem ut nihil omittas, quo Tibi conciliari possit. Solet facile contingere ut juvenes literis et ingenio valentes quadam studiorum fiducia, autoritatis et meritorum, aetatisque etiam praerogativam in aliis non satis considerent, neque expendant quid ipsi sibi vellent, si eo loco essent, inde offensiones, quae deinde multorum praeclarorum ingeniorum cursum morantur. Libellum *de ambitu* tuum nondum vidi, ex titulo tamen nescio quid mordacis inesse suspicor, in eos qui 5 viris claris nimium deferunt; sed hoc peccatum minus incommodi habet, quam irreverentiam.

Fateor, libertatem generosam non esse supprimendam, veritatisque majorem esse rationem habendam quam autoritatis. Ego tamen ipse usu demum reperi, plerumque rectius aliorum sententias in commodum sensum accipi, quam refutari; et magis nunc cogitandum esse de proferendis scientiarum pomoriis, quam de evertendis quae jam sunt structa. Quid autem 10 Ampl^{mo} Avemanno in Tua dissertatione potissimum displicuerit mihi exploratum non est, purgationem tuam pro humanitate sua libenter admissurum, non dubitem, praesertim si qua ratione publice cultum testeris, idque agas ut intelligat, vere Tibi propositum esse ita rem gerere, ut ipsi pariter ac principi animum tuum quem optimum esse non dubito, quavis occasione probes. Quodsi ego aliquid conferre possim, nihil omittam quod in me situm videri 15 queat.

Feltmanni Vestri IC^{ti} magni obitum non exiguo cum dolore intellexi. Fuit in illo doctrina recondita cum acri judicio, rerumque usu conjuncta: thesauros multiplicis lectionis suae passim sparsit in libris editis; sed multa haud dubie restant affecta, quae utinam edi possent; qualia autem sint, Tibi omnium optime exploratum esse puto. Vale. Dabam Hanoverae 20

1 conciliari (I) putes (2) possit L 6 deferunt; (I) sed ni fallor magis quod peccatum (2) sed L
9 f. de (I) <ordi> (2) promovendis | (3) proferendis erg. | L 11 displicuerit (I) non satis jud (2) mihi L
14 principi (I) satis facias (2) animum L 17 obitum (I) magno (2) non exiguo L 19 restant (I) utinam
(2) affecta, (a) qui (b) quae utinam (aa) publice legi (bb) edi L

4 f. libellum: M. KETTWIG, *De ambitu antiquo et hodierno liber*, Bremen 1695.

51.070. MENTET KETTWIG AN LEIBNIZ

Emden, 12. (22.) Oktober 1696.

Überlieferung:K Abfertigung: LBr 467, Bl. 11. 1 Bl. 4°. 2 S. (Darauf auch L^2 von I, 13 N. 294).

5

erstbearbeitet von Gerhard Biller

Unser Brief, mit dem die Korrespondenz zwischen Leibniz und Kettwig endet, antwortet auf N=51.060.

Viro Illustri Godefrido Guilielmo Leibnitio Mecoenati suo magno
Mentetus Kettwigius S. D. P.

10 Noli Te nescium esse, tandem aliquando *Codicem* tuum *J. G. diplomaticum*, scriptaque Placciana ad me esse delata, doleo mihi prius nec lecta nec visa; sed uti huc usque illecta ac incognita fuere, ita diligentia compensabo, quicquid hac in re a me peccatum.

Fateor Placcium veram et non simulatam profiteri philosophiam, Teque *codice* tuo genuinum *juris gentium* usum digito quasi monstrasse veramque praxin, scientiae hujus, huc usque
15 umbratilis, docuisse. Mea interesse putabo, studium in id omne conferre, ut Tua in rem meam vertam, quo, quid usus ac acta gentium a positis doctentium principiis differant, penitus cognoscam. *Librum* Tuum *de methodo docendae discendaeque jurisprudentiae*, cujus etiam Placcius (: ut fugitivo oculo vidi :) in suo *IC^{to} perfecto* meminit, Breae non repperi, dabo tamen operam, num aliunde comparare possim.

20 In Feltmanni scripta, post obitum Ipsius, non incidi, hoc tamen ab Eodemmet me audiisse, memini: *Commentarium* suum in pandectas quoad $\pi\rho\omega\tau\alpha$ esse absolutum, posseque negotio facili totum opus absolvi, si cui Viro erudito suum *corpus juris*, quo uti consuevit, communicaretur, cumque ibidem notatis jungerentur editae ab Antonio Delrione et Petro Brossaeo ad singulas leges ex *Miscellaneorum Scriptoribus* excerptae notae. Tum *Historiam Ostfriscam* ubi
25 Emmius desiit, in haec nostra tempora deducere voluit, latet tamen, an opus hoc utilissimum ex asse perfecit. Quin ad L. Rhodiam de jactu et de jure (quod vocant) appulsus *commentarium* perscripsit; Multasque res in *Dicasterio* nostro judicatas collegit, quae an elaborata sint, ego quoque ignoro.

18 *IC^{to} perfecto*: V. PLACCIUS, *De Jurisconsulto perfecto, sive interpretatione legum in genere, liber singularis*, Hamburg 1693. 21 *Commentarium*: wohl gemeint G. FELTMANN, *Commentarius ad L. I. et II. digestorum*, Leipzig 1678. 23 f. Antonio Delrione . . . notae: vgl. M. A. DELRIO, *Ex miscellaneorum scriptoribus codicis, novellarum, feudorum, nec non etiam institutionum juris civilis interpretatio*, 2. verb. u. verm. Ausg. hrsg. v. P. Brossaeus, Leiden 1590. 25 Emmius: U. EMMIUS, *Rerum Frisicarum historiae libri X*, Franeker 1596 u.ö. 26 ad L. Rhodiam . . . perscripsit: Diese Schrift ist nicht nachgewiesen.

Filius ipsius num huic operi par sit, eaque, quae affecta sunt, absolvere queat, equidem dubito. Solet hoc ut plurimum esse Virorum eruditorum fatum!

Caetera omnem spem reconciliationis meae cum Illustri Avemanno in Te solum repositam cum habeo, enixe flagito, ut aliquando in exarandis ad Ipsum litteris mei in bonam partem meminisse velis. Paratus enim sum, culpam, si quam commisi, emendare omnem; ac reapse 5 praestare, nihil mihi sanctius et antiquius esse, quam Viros summos colere. Vale Vir Illustris, et mihi favere perge. Dabam Embdae XII. Octobris M. DC. XCVI.